

EXERCITATIO XIV.

Simplex de Deo cogitatio, sive idea Dei, est maxime vera.

I. **P**hilosophus Med. tertia sibi objicit: *forte ideam Dei materialiter falsam esse ideoque à nihilo esse posse, quemadmodum paulò antè de ideis caloris & frigoris & similibus animadverterat.*

2. Respondet sibi: *contrà, nulla est idea per se magis vera, nec in qua minor falsitatis suspicio reperiatur, probat responsionem his verbis: quia idea Dei maxime clara & distincta est & plus realitatis objectivæ quàm ulla alia continet.*

3. Tum adjicit: *Est inquam hæc idea entis summè perfecti & infiniti maxime vera; nam quamvis fortè fingi possit tale ens non existere (sicuti fingitur Principp. part. I. art. 7.) non tamen fingi potest ejus ideam nihil reale mihi exhibere.*

4. Quibus opposuit amicus, quod hæc talia dicat Author, non probet, se autem probationem postulare.

5. Respondi primò in thesi, hanc esse Philosophi methodum analyticam, ut sæpe multa vix attingat, quia satis attendenti perspicua sunt, quæ tamen præcipuò sint ad-